



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XL. Quodam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Notandum secundò, Per consuetudinem introduci potest, ut aliquis in eadem Ecclesia Præposituram, aliâque dignitatem, seu Personatum obtineat unâ cum canonicatu. Ita *Gl. hic in notan. Franc. n. 2.*

## CAPITULUM XL.

## Quodam.

## PARAPHRASIS.

Cælestinus V. Papa Titio contulit canonicatum datis executoribus, qui vacantem, vel proximè vacaturam præbendam eidem providerent; postea Cajo similem gratiam concessit, additâ etiam clausulâ, seu decreto irritante, videlicet, ut is alijs, etiam priorum gratiam à Sede Apostolica consecutus, anteferretur. Accidit autem, ut executores ignorantes posteriorem gratiam factam esse Cajo, præbendam vacantem Titio conferrent. Deinde Successor Bonifacius VIII. omnes gratias duorum antecessorum, quibus jus in re acquisitum non fuit, revocavit. Hoc in casu dubitatur, cuiam debeat ea præbenda, Titione, an Cajo. Respondet hic Bonifacius, quòd neutri: non enim priori, sive Titio, quia collatio ipsi, quamvis ignorantibus facta fuerit, post & contra decretum Cælestini, quo voluit Cajum prioribus anteferri, adeoque prioribus gratijs derogari. Neque Cajo, quia ipsi collatio præbendæ facta non fuit, ideoque nec jus in re quæsitum, ante decretum Bonifacij revocatorium gratiarum, quæ à duobus antecessoribus data sunt.

## SUMMARIUM.

1. Vim suam obtinet, etiam erga ignorantes, decretum Pape revocatorium.
2. Neque convalescit prima gratia, si data cum decreto irritante posterior postmodum revocetur, nisi obreptitia sit hac posterior gratia.

Notandum primò, Decretum Pape revocatorium gratiarum, aut irritans facultates, à se, vel antecessoribus suis concessas, vim suam obtinet, etiam erga ignorantes. Ita *Joan. And. hic in Gl. v. ignorantes. Lapsus & Anchoran. not. 3.* Et habet id maximè locum in rebus beneficialibus, in quibus Papa plenam potestatem noscitur habere, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 2. in fine.*

Notandum secundò, Si gratia alicui facta sit cum decreto revocatorio, aut irritante gratiæ prius collatæ alteri; postea verò gratia posteriùs data revocetur, non ideo convalescit gratia prior, quæ per decretum semel infirmata fuerat, quia, quod semel extinctum est, reviviscere non potest absque novo efficiente, seu concedente. Ita *Anchoran. hic not. 5.* qui bene postea limitat, nisi posterior gratia ostendi possit obreptitia, aliòve laborans defectu, quemadmodum, nec testamentum solemne revocatur per posteriùs minus solemne, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum *reg. 52. in 6.*

## CAPITULUM XLI.

## Mandarum.

## PARAPHRASIS.

Si Pontifex mandârit alicui, ut beneficium proximè vacaturum, cujus collatio ad Capitulum Narbonensis Ecclesiæ pertinet, Titio Clerico conferret, in hoc mandato comprehenduntur tam beneficia, quæ ex statuto aut consuetudine Capituli in communi conferri solent, quàm ea, quæ à singulis Canonicis vice, & autoritate Capituli conferuntur. Verùm ad beneficia, quorum collatio specialiter annexa est dignitati, personæ, aut officio, tale mandatum se non extendit; idemque sentiendum, si collatio ad Canonicos ratione præbendarum suarum specialiter spectet, præterquam si in mandato expressum sit, ut Titio beneficium conferatur, cujus collatio ad